



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De illis qui in periculo sunt constituti vt episcopo & c. xiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

De eadem re. Cap. X.

**I** S qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad *Ex cœcil.*  
 eum sacerdos inuitatus venit, oppressus in infirmitate *Cartha-*  
 obmutuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & ac- *gi. ca. 81.*  
 cipiat pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, re-  
 concilietur per manus impositionem, & infundatur ori  
 eius Eucharistia. Si superuixerit, admoneatur à supradictis  
 testibus petitioni suæ satisfactorum, & se subditurum sta-  
 tutis pœnitentiæ legibus, quandiu sacerdos qui pœniten-  
 tiam dedit, probauerit.

De eadem re. Cap. XI.

**S** I quis pœnitentiam petens, dum sacerdos venerit, fue- *Ex decr.*  
 rit officio lingue priuatus, constitutum est, vt si idonea *Eusebij*  
 testimonia habuerit, quòd ipse pœnitentiam petiisset, & *papæ, ca.*  
 ipse per motus aliquos, suæ voluntatis aliquod signum fa- *10.*  
 cere potest, sacerdos impleat omnia, sicut supra circa ægro-  
 tantem pœnitentem scriptum est, id est, orationes dicat,  
 & vngat eum sancto oleo, & Eucharistiã ei donet, & post-  
 quam obierit, vt cæteris fidelibus ei subministret.

De illis qui in vltima ægritudine pœnituerint, & mox  
reconciliati fuerint. Cap. XII.

**S** ANÈ quisquis positus in vltima necessitate egritudinis *Ex dictis*  
 suæ acceperit pœnitentiam, & mox reconciliatus fue- *August.*  
 rit, & transferit de corpore, fateor vobis, non illi negamus  
 quod petit, sed nec præsumo dicere, quia bene hinc exie-  
 rit. Si securus hinc exierit, ego nescio: pœnitentiam dare  
 possumus, securitatem autem dare non possumus. Nūquid  
 dico damnabitur? Sed nec dico, quia liberabitur. Vis te à  
 dubio liberari? Vis quod incertū est euadere? Age pœnitē-  
 tiam, dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam, dum  
 sanus es, & inuenerit te nouissimus dies: curris, vt recon-  
 ciliaris. Si sic agis, securus es. Ideo dico tibi, quia securus  
 es: quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo peccare po-  
 tuisti, Si autem vis agere pœnitentiam, quando iam pecca-  
 re non potes, peccata te dimiserunt, non tu peccata.

De illis qui in periculo sunt constituti, vt episcopo cōsul-  
to, presbyter eos reconciliet. Cap. XIII.

**A** VRELius episcopus dixit: Si quisquam in periculo fue- *Ex cœcil.*  
 rit constitutus, & recōciliari diuinis altaribus petie- *Cartha-*  
 rit, si episcopus absens fuerit, debet vtique presbyter cōsu- *gi. ca. 4.*

lere episcopum, & sic periclitantem eius præcepto recoci-  
liare. Quam rem debemus salubri consilio roborare.

*De infirmis in periculo mortis constitutis. Cap. XIII.*

*Ex pœni-  
tentiali  
Theodo-  
ri.*

**A**B infirmis in periculo mortis positis, per presbyteros  
pura inquirenda est confessio peccatorum, non tamen  
illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda,  
& cū amicorū orationibus, & eleemosynarū studiis pon-  
dus pœnitentiæ subleuandum: & si fortè migrauerint, ne  
obligati ex cōmunionē alieni, vel ex cōsortio veniæ fiant.  
A quo periculo si diuinitus ereptus conualuerit, pœnitē-  
tiæ modum à suo confessore impositū diligenter obseruet.  
Et ideo secundū canonicā authoritatē, ne illis ianua pie-  
tatis clausa videatur, orationibus & cōsolationibus, eccle-  
siasticis sacra cum unctiōe olei animati, secundum statuta  
sanctorum patrum, cōmunionē viatici reficiantur.

*De quodam qui Christum negauerat, quomodo in ex-  
tremis viatico liberatus est. Cap. XV.*

*Dionysi<sup>o</sup>  
in Eccle-  
siast. histo-  
ria dicit.*

**I**N historia Ecclesiastica Dionysius rescribens ad Fer-  
bianum, inducit quandam historiam, dicens quendam  
fuisse apud Alexandriam, vnum ex his qui lapsi sunt, eum  
dem sæpe deprecatum esse vt susciperetur, nec tamen im-  
petrasse. Oppressum deinde hunc ægritudine, ita vt tres  
dies sine voce prorsus iaceret: paululum verò quarta die  
respirantem, vocasse ad se filiulam suam, & dixisse, ferretur.  
Quousque me detinetis? Quæso vos citò aliquis presbyte-  
rorū veniat, vt possim dimitti. Et cū hoc dixisset, rursum  
sine voce permāsit. Abiit citò cursu, ad presbyterum pueri,  
noctis tempore. Infirmabatur presbyter, venire non po-  
tuit: tamen quia præceptum fuerat, vt lapsis in exitu ne-  
mo reconciliationis solatia denegaret, & maxime his  
quos prius id rogasse constat, parum Eucharistiæ pueri  
dedit. Regrediente adhuc puero, antequam ingrederetur  
domum, rursum Serapion redisti, inquit, fili: Licet presbye-  
ter venire non potuit, tamen imple quod tibi imperatum  
est, vt possim recedere. Cumq; acciperet Eucharistiā, re-  
lut. cathenis quibusdam vinculisq; disruptis, latiorems  
spiritum reddidit. Ex quo constat huius boni auxilio nul-  
lum debere fraudari.